Quodlibetaria Quæstio agitanda In Scholis Medicorum die 28a Novembris.

M. Hieronymo De Varades Moderatore.

An Cuique Corporis affectui Sua Sunt Pulsuum Symptomata?

Vitalis facultas in proba triplici stat: cordis qualitate et quantitate consistentis, nativi caloris singularum corporis partium, et spiritus animalis symmetriam pulsu tuetur. Huius duplex est causarum genus: primum continens quod primo et per se actiones vitales perficit, et immutat; alterum remotum quod hanc secundario alterat. Hinc fit ut si quando pulsificae facultatis actio laedatur, vitium in primo causarum genere sit quaerendum.

Pulsus itaque (cuius differentiae à motus qualitate, quantitate, quiete, facultatis et instrumenti affectione sumuntur) tres sunt causae continentes: usus, facultas, et instrumentum: usus intensus primum magnitudinem, deinde celeritatem, postea frequentiam pulsus auget: remissus contra, robustas facultatis vehementes: imbecillitas languidos; gravatas inaequalis semper est causa. Instrumenti mollities distensioni addit, contractioni detrahit: obstructio, et pressus inaequalitati, et intermissioni conferunt.

Actionem vitalem et immutat continens causa, ista rerum naturalium, praeter naturam et inter has mediarum alterationibus efficitur. Temperamentum enim calidius, aetas et victus ratio consimilis intemperiei calida, denique quidquid necessitatem pulsus intendit, magnitudinem quoque, celeritatem, ac frequentiam auget, contraria vero remittunt. Tumor omnis praeter naturam pro humoris qualitate, et quantitate partisque affectae natura pulsum variat, diuturnus aut vehemens dolor, et quae immodice vacuando facultatem dissolvunt, pulsus parvos, tardos et languidos reddunt.

Hinc fit ut viri mulieribus maiores, vehementiores, sed paulo tardiores, et rariores habeant pulsus, pueri minusculos, celerrimos ac creberrimos: senes contra minimos, languidissimos, tardiusculos, rariores: iuvenes maximos, vehementissimos celeritate et frequentia mediocres. Medio vere et autumno pulsus sunt maximi, et vehementissimi celeritate et frequentia moderati. Aestate et hyeme parvi et languidi, sed celeres, et crebri aestate, tardi et parvi hyeme, eandem rationem servant regionum discrimina.

Diariarum pulsus magnus, celer, frequens distensione, quam contractione celerior: hecticae durus, sed non longe à cibo magnus et celer: putridae in accessionum principiis parvus, tardus, languidus, et inaequalis, contractionem distensione celeriorem habet, in augmento utraque celerem, in vigore distensio celeritatem auget, in declinatione remittitur utriusque celeritas, lethargi et peripneumoniae pulsus est magnus, mollis, languidus et inaequalis, hepatis, renum, uteri phlegmonarum magnus, celer, frequens subdurus: diaphragmatis, vesicae, stomachi, meningum et laterum durus, celer frequens.

Sunt Igitur Cuique Corporis affectui Sua Pulsuum Symptomata.

Asserebat Lutetiae M. Simon Duval Rothomagensis. M.D.XLIX.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE